

chi Ecclesiarum Pistorien. & Praesen. inter varias opinionones Doctorum involuti negligant in dies celebrationem, & respectivè applicationem sacrificii pro populo juxta dispositionem sacrorum canonum, & Concilii Tridentini: Episcopus ad consulendum nedum propria, verum etiam in dictorum Parochorum conscientia supplicat declarari: an dicti Parochi teneantur omnibus diebus festis applicate sacrificium pro populo, sive habeant congruam, sive non? Die 14. Februarii 1699. sacra Congregatio Eminentissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit, dandas esse resolutiones, aliàs hac de re editas, & signanter in nullius Nonantulanæ Eminentissimi Abbatis. 30. Augusti 1698. tenoris, ut infra. Cum præcepto divino iis, quibus animarum cura commissa est mandatum sit pro ovibus suis sacrificium offerre, sæpe aliàs sacra Congregatio Concilii censuit Parochos teneri pro Parochianis sacrificium applicare, & præcipue in dubio applicationis sacrificii proposito, & respectivè resolutio sub die 10. Maji 1692. His præcisus verbis concepto: An Parochus missam celebrare teneatur, & sacrificium applicare pro Parochianis in diebus Dominicis, & festis, sive habeat congruam, sive non? Sacra Congregatio juxta alias declarationes censuit teneri, nec posse eisdem diebus aliam elemosinam recipere: ac proinde idem nunc respondendum esse censuerunt Eminentissimi Patres, quoad Parochos Nonantulanæ Diocesis, addentes insuper, quod E. V. pro suo Pastoralis Zelo detrectantes Parochos compellere non gravetur, &c.

J. Cardinalis Sacripantes Præfectus.

Loco + Sigilli.

Cum autem, sicut dictus Episcopus nobis subinde exposuit fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmis censuit, & servetur exactius Apostolicæ Confirmationis nostræ patrocinio communiti plurimum desideret, Nos speciale ipsi Episcopo gratiam facere volentes, eumque à quibuscumque excommunicationibus, suspensionibus, & interdictis, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes; supplicationibus ejus Nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum Auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium. Decernentes, easdem præsentis litteras, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere: ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari. Sique in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam MARIAM Majorem sub annulo Piscatoris, Die 24. Aprilis 1699. Pontificatus nostri anno octavo.

J. Fr. Cardin. Albanus.

Hanc Bullam habet Reverendus Pater Anacletus Responsum in suo Jure Canonico, libro quinto, Decretal. titulo tertio, paragrapho octavo, numero 212. & sequentibus.

Privilegiorum Communicatio.

Concessio omnium Privilegiorum, Indulgentiarum, Exemptionum, ac gratiarum ordinibus omnibus mendicantium, & non mendicantium concessorum, & concedendorum, facta à Clemente Septimo Fratris Minoribus Sancti Francisci Regularis observantia.

CLEMENS VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Um fructus uberes, quos ordo sacer dilectorum Fratrum Minorum Regularis observantia, in agro militantis Ecclesiae cum propagatione Religionis, ac defensione, & augmento fidei Catholicæ, ac salute Christi fidelium produxit hætenus, & in dies producit, diligenter attendimus, dignum, quin potius debitum putamus (ut ejus situm prosperum, & tranquillum omni diligentia procuremus) illius Religiosas personas specialibus favoribus, & gratiis prosequi. Hinc est, quod nos motu proprio, & ex certa nostra scientia, tenore præsentium, omnia, & singula privilegia, immunitates, exemptiones, præsertim de non servendo Clericis secularibus quartam funeralium, quoad fratres in possessione non solvendi quartam hujusmodi existentes, ac omnia, & singula indulta, indulgentias, peccatorum remissiones, & gratias dicto Minorum, ac Sanctæ Claræ, ac tertio de penitentia nuncupato ordinibus, illorumque Fratris, Monialibus, sororibus, & utriusque sexus personis, atque Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, & locis quibuscumque, etiam per modum extensionis, seu communicationis, & aliàs, quomodolibet, per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac per nos, & sedem prædictam concessa, auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & innovamus, & perpetuæ firmitatis robur obtinere, & inviolabiliter observari debere, ipsosque Fratres, Moniales, Sorores, Personasi, Monasteria, Domus, Ecclesias, & alia loca hujusmodi, omnibus, & singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, concessionibus, indultis, indulgentiis, peccatorum remissionibus, & gratiis quibusvis Congregationibus dictorum ordinum, aliorumque ordinum mendicantium quomodolibet concessis, & concedendis, nec non etiam quibusvis facultatibus, & gratiis suæ professioni Regularis observantia non contrariis, aliis ordinibus quibuscumque non mendicantibus quomodolibet concessis, & concedendis, uti, frui, & gaudere possent; atque debere in omnibus, & per omnia perinde, ac si eis specialiter concessa fuissent, & Constitutiones, in ultimo capitulo generali dicti Ordinis Minorum Regularis observantia, in Provincia Burgensi Regni Castellæ factas plenior robore firmitatem obtinere, & ab omnibus quoad per Capitulum aliud generale dicti Ordinis mutata non fuerint, inviolabiliter observari debere, nec non Regulam ipsam per sanctum Franciscum, pro Fratris minoribus institutam, observabilem, meritiorum &c. Cum omnibus clausulis revocativis. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris. Die 30. Maji, Anno millesimo quingentesimo vigesimo quinto. Pontificatus nostri Anno secundo.

Hæc Bulla videri potest in compendio privilegiorum nostrorum P. Alphonsi Casarubini in fine.

Privilegiorum Confirmatio.

Bulla Clementis Octavi Confirmatoria omnium privilegiorum tribus Ordinibus Sancti Patris Nostri Francisci concessorum.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ratio Pastoralis Officii nostri exigit, atque efflagitat, ut quorum Religionem, ac virtutem Sedi Apostolicæ, totique Ecclesie non modò illustrem, & præclaram, sed utilem etiam, ac necessariam esse animadvertimus, eosdem nostris, & ejus Sedis Apostolicæ honoribus, ac beneficiis libenter prosequimur. Cum verò ex bonis, & commodis spiritualibus ordinum

mendicantium, ea longè, latèque pateant, semperque pauperum, quæ à sacro Ordine Fratrum Minorum de observantia, ab ipsis fundatæ Religionis initiis in omnes Christianæ Reipublicæ provincias proflexerunt, quotidieque possunt, & promanant, faciendum nobis esse statuimus, ut in eodem ordine, nostris, & Sedis Apostolicæ gratiis, atque muneribus honestando, nihil Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum benignitati ac studio concedamus.

1. Cum igitur pro parte dilecti Filii Joan. Baptiste Moles Commissarii Generalis in Romana Curia ultramontane familiæ prædictæ Ordinis de observantia nobis expositum fuerit, ex ipsius Sedis benigna dignatione provenire, ut Romanus Pontifex quandoque Prædecessorum suorum Romanorum Pontificum gesta innovet, ac Apostolica auctoritate innovata, & restaurata muniat, & fulciat, & in pristinum statum reponat, ac reducat, nec non propterea nonnulli Romani Pontifices Prædecessores nostri, quasdam gratias, Concessiones, Indulgentias, & peccatorum remissiones, abolutiones, etiam plenarias libertates, prærogativas, favores, immunitates, exceptiones, declarationes, facultates multaque alia privilegia, & indulta, tam prædictis Fratrum Minorum, quàm Sanctæ Claræ, ac tertio de penitentia nuncupato Ordinibus, illorumque superioribus, Fratris, Monialibus, & Sororibus, ac utriusque sexus personis, & Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, & locis quibuscumque dictorum ordinum nunc, & pro tempore existentibus in genere, vel in specie, etiam per modum Communicationis, sive extensionis privilegiorum aliis Ordinibus, Domibus, Ecclesiis, & utriusque sexus personis Ordinum mendicantium, & non mendicantium existentibus concessorum concesserunt, aut jam concessa confirmaverunt, prout in singulis Concessionibus, declarationibus, & litteris eorundem prædecessorum expeditis plenius dicitur contineri.

2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, illa quæ sæpius Apostolica auctoritate prædicta, munita existunt, majorem obtineant roboris firmitatem pro parte prædicti Joan. Bapt. Moles, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut prædictis Privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, favoribus, conservatoriis, declarationibus, facultatibus, dispensationibus, gratiis, Concessionibus, Indulgentiis, & indultis, pro illorum observantia, nostræ approbationis robur adjiceret, aliaque in præmissis opportune providere, & benignitate Apostolica dignaremur.

3. Nos igitur, qui omnium votis, præsertimque illorum, qui sub suavi Religionis jugo Divinis Laudibus, & Christianæ Religionis augmento incumbuntium personarum tranquillitati, & commoditati consulunt, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, hujusmodi supplicationibus inclinati, quæcumque præmissa, ac omnia singula alia privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogativas, favores, conservatorias, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, Concessioniones, Indulgentias, & indulta spiritualia, & temporalia, etiam per modum Communicationis, & extensionis inter se, & cum aliis Ordinibus mendicantibus, & non mendicantibus, eujusdem Fratrum Minorum Regularis observantia, & Sanctæ Claræ, & de penitentia Tertio Ordinis, etiam in Congregatione sub trium vororum substantia, hujusmodi professione, & eorundem superiorum Ordinis Minorum Regularis observantia hujusmodi obedientia degentibus, ipsorumque superiorum Fratris, Monialibus, Sororibus, ac utriusque sexus etiam singularibus personis, nec non Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, & locis quibuscumque in genere, & in specie, etiam per solam signaturam, etiam viva voce oraculo, ut præfertur, aut aliàs per eisdem Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac nos, & sedem prædictam sub quacumque forma, & expressione verborum concessa, ac etiam iteratis vicibus approbata, nec non omnibus, & singulis, in eis forsan contentis clausulis, Decretis, & declarationibus quibuscumque ac singulis desuper etiam pluribus vicibus confectas litteras, & in eis contenta, & in se secuta quæcumque illorum omnium tenores, & formas datas, effectus, & decreta in illis apposita, ac si verbo ad verbum infererentur, & in his essent inserta, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, dicta Auctoritate Apostolica, tenore præsentium ex certa scientia (in his omnibus in quibus Decretis Concilii Tridentini non adversantur, salvis etiam Decretis à nobis in favorem Fratrum Reformatorum concessis) approbamus, et confirmamus, ac innovamus, perpetuamque roboris firmitatem obtinere, et si miter observare, nec non Ordines Fratrum Minorum Regularis observantia, et Sanctæ Claræ, ac tertio de penitentia nuncupato, etiam in Congregatione sub obedientia Fratrum Minorum de observantia, Fratribus, Monialibus, Sororibus, etiam Tertiariis, nuncupatis, fororibus, personis, Monasteriis, Domibus, & Ecclesiis, & locis prædictis, etiam per modum Communicationis, & extensionis hujusmodi suffragari, illisque frui, uti, & gaudere, & quando, & quoties opus fuerit, posse, & debere, in iudicio, & extra, ac etiam in foro conscientia, in omnibus, & per omnia, ac si specialiter, & expressè eisdem Fratrum Minorum, & Sanctæ Claræ, & tertio de penitentia ordinibus per nos concessa fuissent, decernimus, Supplices omnes, & singulas juris & facti, ac solemnitate requisitarum, forsan necessitate, aut aliàs quomodolibet requisitarum, forsan omittarum, & alios quoscumque defectus, si qui forsan intervenierint in eisdem.

4. Quocirca venerabilibus Fratris Mantuæ, & Toy Episcopis, ac dilecto Filio causarum curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori per eisdem præsentibus committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, vel unus eorum, per se, vel alium, seu alios, faciant auctoritate nostra præsentibus litteras, & in eis contenta quæcumque, plenum eorum effectum sortiri, illisque omnes, quos concernunt, pacificè frui, & gaudere. Non permittentes quemquam desuper contra præsentium tenorem sub quavis prætextu, & causa, etiam defectu intentionis nostræ per quoscumque quomodolibet indebitè molestari: quinimò quidquid contrarium attentari, vel fieri contingerit, omnia semper in pristinum reponi; Contradictores quoslibet, & rebelles, etiam per quascumque penas Ecclesiasticas, & alia opportuna juris, & facti remedia, appellatione qualicumque postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis, Servatis processibus, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Sique per quoscumque Judices, & commissarios, ac S. R. E. Cardinales, nec non sacri Palatii Apostolici causarum auditores, sublata eis quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & definiti debere.

5. Non obstantibus præmissis, ac pia memoria Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali de duabus dietis, dummodò ultra tres dietas aliquis præsentium vigore ad iudicium non trahatur, aliisque Apostolicis constitutionibus, ac provincialibus, & capitularibus statutis, & constitutionibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, etiam in forma Brevis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac etiam nos, & sedem prædictam, & motu proprio, ac scientia, & potestate plenitudine similibus, ac cum quibusvis irritativis, annullativis, restrictivis, reservativis, exceptivis, restitutivis, declarativis, mentis attestativis, ac derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis quomodolibet, etiam pluries concessis firmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis earumque totis tenoribus, specialis, specificæ, expressæ, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas Generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia ex qua forma ad hoc servanda foret, etiam, quod in eis caveatur expressè, quod illis nullatenus, aut non nisi sub certis modo, & forma derogari possent, tenoris hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita, observata inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, motu, scientia, & auctoritate similibus derogamus. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, ceterisque contrariis quibuscumque.

6. Verùm quia difficile foret, præsentibus litteras ad singula quæque loca, in quibus forte opus esset, deferri, volumus, & pariter Apostolica auctoritate decernimus, quod illarum transumptis manu alicujus ex secretariis eujusvis prædictorum Prælatorum, Generalium, ac Romanæ Curie commissarii, & suorum successorum, aut Notarii publici subscriptis, & Sigillo officii alterius eorundem, aut alicujus Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, seu curiæ Ecclesiasticæ munitis, eadem proferri fides in iudicio, & extra illud adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die vigesima Dec. 1595. Pontificatus Nostri Anno sexto.

Hæc Bulla habetur in Bullario Cherubini, tom. 3. pag. 66. X 2 Privi-



Privilegiorum Concessio.

Bulla Pauli III. amplissima, concessa Ordini Societatis Jesu circa facultatem predicandi in quibuscumque Ecclesiis, locis, & plateis, ac absolvendi per Confessores approbatos, a quibusvis criminibus, & peccatis, etiam, Sedi Apostolicæ reservatis (exceptis in Bulla Cæne Domini, & vota commutandi, ut in ea est videre) quam etiam participant mendicantes omnes, & eorum participantes.

Dilectis Filiis

Moderno, & pro tempore existenti Præposito, & sociis, Societatis Jesu, in Alma Urbe nostra canonicè institutis.

PAULUS PAPA III.

Dilectis Filiis salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Cum inter cunctas sollicitudines nostras, quibus nos premittit Pastoralis officium, illa sit præcipua, ut grægi Dominico, nobis superna dispositione commisso, animarum cura non desit. nec illum antiquus serpens humano generi inimicus, indefestus, & impræparatum invadat. Attendentes igitur ad fructus uberes, quos in Domo Domini hæctenus produxistis, & producere non desinitis, vestra Religiosis integritati, scientiæ, Doctrinæ, moribus, & experientiæ plurimum in Domino confidentes, vobis, quos ac societatem vestram Jesu approbando, confirmando & benedicendo, atque perpetuæ firmitatis munimine roborando sub Apostolicæ Sedis protectione suscipimus: & quilibet vestrum, qui ad hoc onus idoneus repertus, & per vestrum societatis Præpositum pro tempore existentem deputatus fuerit, in quibusvis Ecclesiis, & locis, atque plateis communibus, seu publicis, & aliis ubique locorum clero, & populo Verbum Dei prædicandi, proponendi, & interpretandi, ac eos viam veritatis edocendi, & ad beatæque vivendum, ita ut in vobis verbo pariter, & exemplo æmulentur in Domino, hortandi, & monendi: nec non illis ex vobis, qui presbyteri fuerint, quorumcumque utriusque sexus Christi fidelium, ad vos undique accedentium, confessionibus diligenter auditis, ipsos, & eorum singulos, ab omnibus, & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, & a quibusvis ex ipsis casibus resultantibus sententiis, censuris, & penis Ecclesiasticis (exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cæne Domini solita est legi) absolvendi, atque eis pro committis penitentiam salutarem injungendi, nec non vota quæcumque per eos pro tempore emissa (ultra marinis: visitationis liminum Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum de urbe, ac sancti Jacobi in Compostella, nec non Religionis, & castitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutandi plenam, & liberam concedimus facultatem. Dat. Romæ apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die tertio Julii, anno Domini 1545. Pontificatus nostri anno secundo.

Hæc Bulla habetur in compendio nostrorum privilegiorum P. Alphonsi Casarubios in fine.

Privilegiorum Declaratio,

In qua Regularium privilegia, quo ad prædicationem Verbi Dei, & Sacramenti Penitentia Administrationem à Clemente X. declarantur.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Superna magis Patris familias præordinatione creditum nobis universalis Ecclesiæ mysticum Agrum circumspicere providentia custodire, atque excolere (quantum ex alto conceditur) satagentes, animum in eas curas libenter intendimus: quibus valeant diffidia inter Villicos, & operarios componi, jurgia tolli, scandalis, atque offensionibus aditus præcludi, ut quibus una fides, una Mater Ecclesiæ, & unus Dominus, qui charitas est, & pacis togicans cogitationes: fiat etiam cor unum, atque anima una: sic etenim evulsis opportunè Zizaniis, dum plantamus, & rigamus, incrementum dabit Deus, quo benedicente, messis

multa fructu centesimo, cæleste in horreum congregabitur

§. 1. Sanè, cum Sacri Concilii Tridentini Decretis, providè itaturum fuerit, ut Regulares cuiuscumque Ordinis, nisi à suis Superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare non possint, cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant: in Ecclesiis verò, quæ suorum ordinum non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam gratis ab eo dandam habere teneantur: sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum ordinum nullo modo prædicare possint. Atque ut nullus sæcularis, sive regularis, etiam in Ecclesiis suorum ordinum contradicente Episcopo prædicare præsumat, itidemque cum nullus Sacerdos regularis possit confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum audire: nec ad id idoneus reputari, nisi aut Parochiale beneficium obtineat; aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliis idoneis judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegium, & consuetudine quacumque non obstantibus. Innotuit nobis dubitationes nonnullas, circa benedictionem, licentiam, contradictionem, examen, & approbationem ejusmodi in aliquibus Diocesis excitatas fuisse, ex quibus controversiæ, & diffensionis permultæ in diem subsiqui possent occasione privilegiorum, quæ per Sedem Apostolicam Religiosis ordinibus concessa fuerunt.

§. 2. Nos attendentes, quod aliis diversis temporibus prædictæ dubitationes, & controversiæ nonnullis prædecessorum nostrorum summorum Pontificum constitutionibus, earumque declarationibus definitæ fuerint: ejusmodi definitiones in unum collectas, ut magis magisque diffensionum tollantur semina, & in posterum firmiter in agro Dominico Pax Christi floreat: Pro Summo, quo fungimur Apostolatus officio, novis Apostolicis litteris munendas duximus, & roborandas; Itaque de consilio nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curie prælatorum; pietate, doctrina, & prudentia præstantium, et matura deliberatione nostra, atque ex certa scientia: hac generali, et perpetuè valitura constitutione decernimus, ac declaramus.

§. 3. Regulares, qui in Ecclesiis sui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Episcopo Diocæsano benedictionem petere: Prædicare tamen posse, quamvis illam non obtineant. Quod si Episcopus benedictionem, nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Ecclesiis licere Regularibus prædicare: eosque contravenientes, ab illo tamquam Sedis Apostolicæ delegato, censuris, aliisque penis Ecclesiasticis in vim constitutionis fel. recordat. Gregorii XV. Prædecessoris nostri, incipientis: Inscrutabili Dei providentia, coerceri, et puniri posse, Episcopum tamen absque justa, et rationabili causa contradicere non debere, et hujusmodi benedictionem teneri etiam regulares petere: si in quibuscumque oratoriis sui Ordinis sermonem coram populo, vel in Ecclesiis aut ad crates Monasteriorum Sanctimonialium eorum jurisdictioni subjectarum, licet clausis januis, et nullis sæcularis ibi interstit, habere voluerint. Possent autem Episcopum licentiam concessurum regularibus in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, prædicare volentibus, illos quamvis ab Universitatibus, aut à Magistratibus laicis nominatos, etiam si Episcopi antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueverint, quoad doctrinam examinare: si ita ipsius arbitrio, quod moderatum, et discretum esse debet, visum fuerit, et licentiam prædicandi semel iisdem concessam ob rationabiles causas, licet occultas, prædicationem tamen concernentes suspendere. Non posse tamen Episcopum generatim prohibere regularibus quin in Ecclesiis suorum Ordinum prædicent.

§. 4. Ad hæc Religiosos ab Episcopo ad confessiones sæcularium in sua Diocesi audiendas approbatos, non posse in alia Diocesi eas absque Episcopi Diocæsani approbatione audire, quamvis penitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi religiosi jam fuerant approbati, & generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum sæcularium confessiones audiendas nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum, sed egere quo ad hoc speciali Episcopi approbatione. Atque approbatos pro audiendis confessionibus Monialium unius Monasterii, minime posse audire confessiones Monialium alterius Monasterii. Itidemque confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium confessiones pro una vice audiendas, hæc posse expleta deputatione in vim approbationis hujusmodi illarum confessiones audire: sed

to-

pleta deputatione in vim approbationis hujusmodi illarum confessiones audire, sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit. Cæterum in Monasteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta regularia instituta vivitur, posse tam prælatos regulares, quam confessores regularium eorumdem Monasteriorum, seu Collegiorum audire confessiones illorum sæcularium, qui inibi sunt verè ad familiaria, & continui commensales, non autem illorum, qui tantum ipsis deserviunt. Illos autem Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis, generaliter quoque, & indistinctè absque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis Personarum in Diocesi propria admittendos; quoad cæteros verò, qui non adeo idonei reperientur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinquere, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere; semel autem simpliciter approbatos posse in Diocesi Episcopi approbantis quovis anni tempore, etiam Paschali, & quorumcumque; etiã infirmorum confessiones audire absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia. De qua tamen confessione teneri delictos Religiosos eorandem infirmorum Parochum illicet certiorare reddere; Et hoc posse illis ab Episcopo sub pena suspensionis à facultate audiendi confessiones præcipi: sufficere tamen, ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam, apud ipsam infirmum relinquendam.

§. 5. Et eos, qui delictis Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint, constitutioni, quæ incipit: Omnis utriusque sexus quoad confessionem dumtaxat laicis fecisse contentos; Regulares verò ad ejusmodi confessiones audiendas prævio examine simpliciter, & absque ulla temporis præscriptione ab ipso Episcopo, secus autem ab ejus Vicario, aut ab antecessoribus Episcopis approbato, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari; aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas revocari, nisi nova superveniente causa, quæ ipsas confessiones concernat; De qua tamen hæc non necessaria esse, ut in actis constet; nec eam teneri Episcopum ipsos regularibus significare; sed Sedi Apostolicæ dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postula verit.

§. 6. Porro si regulares cum scandalis, aut aliis inhonestè vivant, vel aliquid delictum committant, per quod rationabili Episcopi iudicio videantur à confessionibus suspendendi, in quo ipsi Episcopi conscientiam onerata esse volumus, cum præcipua Ministri Sacramenti penitentia qualitas sit vitæ integritas, ac morum honestas; utique eam causam ad confessionis Ministerium pertinere, ac proinde nihil obitare, quo minus ob eam possit Episcopus regulares à semetipso approbatos suspendere, aut repellere à confessionibus audiendis. Attamen confessiones audiendi facultatem omnibus, simul unius conventus, regularibus confessoribus adimi ab Episcopo inconsulta Sede Apostolica nullatenus posse: Ex facultatibus per mare magnum, aliisque privilegia regularibus cuiuscumque Ordinis, instituti, aut Societatis, etiam JESU concessis, factam eis non esse potentiam absolvendi in legibus ab Episcopo sibi reservatis. Et per confirmationes dictorum privilegiorum, quas regulares à Sede Apostolica post sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt; nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem Concilio, aut deinde Apostolicis etiam Decretis sublata, atque extincta si quæ habebant, absolvendi à casibus Episcopo reservatis.

§. 7. Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideo à casibus Episcopo reservatis posse absolvere. Possent autem regularem confessorum in ea Diocesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia Diocesi à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem penitentes noverit in fraudem reservationis, ac alienam Diocesi pro absolutione obtinenda migrasse; Vigore supradictorum privilegiorum, nequaquam licere regularibus etiam satisfacta parte absolvere penitentes à censuris quoad externum, & judiciale forum, & absolutos ab eis in foro penitentiali, utique non censeri absolutos in exteriori iudicio, & contentioso. Quinimò censuris Ecclesiasticis interitos, & denunciatos ab Episcopis cogi posse, gerere pro talibus, etiam si à regularibus fuerint absoluti. Quoties exhibitis aliquibus regularium Apostolicis privilegiis coram Episcopo, ab eo, judicetur ipsa non suffragari casui, de quo agitur, si dictorum privilegiorum verba obscura sint, & ambigua non esse ad Metropolitanum provocandum, sed cum ejus sit interpretari, cujus est condere, dictorum privilegiorum interpretationem Sedis Apostolicæ iudicio, prout aliis constitutione prædecessoris nostri fel. rec. Clementis IV. statutum fuit, esse requirendum.

Suppl. Theol. Sacram.

§. 8. Decernentes sic, & non aliàs, per quoscumque judices, ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate, & dignitate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, Vice legatos, & Nuntios, & quovis alios sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere. Irritum quoque, & inane, & quidquid secus super his, à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit, attentari.

§. 9. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcumque Personarum, atque quorumvis Ordinum tam mendicantium, quam non mendicantium militarium etiam S. Joannis Hierosolymitani, congregationem, Societatem etiam JESU, ac cujusvis alterius instituti etiam necessariò, & in individuo exprimenti, Monasteriorum, Conventuum, Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quorumcumque tam sæcularium, quam regularium locorum, nec non illorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indulciis, & privilegiis etiam in corpore juris clausis, aut ex causa, & titulo oneroso, vel in limine foundationis concessis, etiam mari magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis; Conservatorum deputationibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus, quibus Episcopi deferre minime teneantur, & quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis Decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque rotis tenoribus, & formis specialibus, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti, & presentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis quoad ea, quæ eisdem presentibus adversantur, illis aliàs in suo robore permanentibus, harum serie specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Cæterum quia difficilè foret præsentibus litteras ad singula quæque loca deferri, ut ex tamen omnibus innotescant, mandamus illas ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, atque Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie campi Floræ affigi, & publicari, volentes, quod earundem præsentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicujus notarii publici subscriptis, & sigillo Prælati, seu Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis in iudicio, & extra illud, ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibite, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat, hæc paginam nostrorum Decreti, declarationis, derogationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctam MARIAM Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo, Undecimo Kalendas Julii, Pontificatus nostri anno primo.

G. Dat.

Visa de Curia P. Ciampinus.

I. G. Slusus.

D. Ciampinus.

Hæc Bulla habetur in Theologia radicali Joannis Maria Sbogæ tract. 140. in fine.